



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Elenchvs Capitvm Libri Qvarti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

infra dicemus, dicunturque cogitationes cordis, id est, procedentes ex cuiusque affectibus.

6
De loco di-
cti organi
quorundam
opinio.

Quæres tamen, in qua parte cerebri sit sensus iste, in cerebro enim tres obseruantur cellulae: prima in parte anteriori, secunda in parte media, tertia in posteriori. Qui ergo Galenum sequuntur de distinctione trium sensuum interiorum, primam cellulam ponunt organum sensus communis, & phantasie medium cogitativæ, ultimam verò memoriæ, quod confirmat experientia desumpta ex eodem Galeno libro de differentiis symptomatum, læso enim organo sensus interni lædatur sensus, causaturque infania tripliciter: primò quando accidit error in sensu externo, quando nimirum pars anterior cerebri lædatur, quoniam tunc infirmatur sensus communis à quo vis sentiendi ad externos derivatur. Secundò quando iudicium, aut ratiocinatio lædatur, quod accidit ex lésione media cellulae. Tertiò quando lædatur memoria, quod ex infirmitate ultimæ cellulae procedit: quod si omnes eiusmodi partes lædantur, omnes operationes prauè exercentur, sicut in phrenesi contingit: ex hac ergo experientia, quoniam Galenus ibi confirmat, concludunt sequaces has potentias distinguere, subiectarique in dictis partibus.

7
Veris opi-
nio.

Statuendum tamen non omnes illas cellulas esse organum sensus interni, nisi quasi triplicem partem potentia illius æstimamus: quia si vna simplex est, in tribus cellulis re ipsa distinctis esse non poterit. Præterea in multis animalibus est sensus communis memoria, & phantasia, in quibus tamen cellula distincta non deprehenduntur. Denique hi authores contra Galenum sentiunt, qui 8. de usu partium, cap. 6. aliter vult constitutas esse illas cellulas, namque in anteriori parte duas collocat, in posteriori vnam, & communem meatum, qui cellula media dicitur: atque usum illarum aliter exponit, duas enim anteriores ait esse organum olfactus, quod supra roecimus, addit vero deferuire etiam ut in eis elaborentur spiritus animales ad sentiendum requisiti: per intermedium autem ventriculum existimat fieri tran-

situm horum spirituum, & in ultimo vigere vim sensitivam, ac verum fortasse est vltimum illud ventriculum esse organum interni sensus, lege Vesalium 7. de fabrica, cap. 6. Nec experientia ahegata conuincit, quia eadem potentia variè læditur, visus enim læditur aliquando, ita ut non percipiat indistans: aliquando aliter, quoniam lésionum causa sunt ignota: sic ergo in præsentis sensus interior diuersimodè læditur, quia cum habeat organum apertè temperatum, sicut diuersimodè potest solui temperamentum, ita diuersè possunt causari lésiones, ita Aristoteles lib. de insomnijs, cap. 3. vbi diuersarum specierum phrenesis diuersas reddit causas: nullam tamen certam satis.

Dubitabis autem primò, an sensus internus lædi possit non læso externo. Multi negant: verior tamen est affirmatio: patet enim experientia phrenesim occupare hominem integris etiam externis sensibus, dementes quoque à natiuitate non raro visuntur iisdem sensibus valentes. Ratio à priori est, quoniam vis sentiendi à sensu interno derivatur ad externum, vnde hic potius ab illo pendet, quàm è contra. Rursum internus sensus propriam dispositionem vendicat, quæ potest vitari organo externorum sensuum saluis manentibus. Vnde Vales. 9. controuersiarum, cap. 3.

Dubitabis iterum an imaginatio efficiat casum, D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 99. docet imaginationem aliquando esse causam ægritudinis, ac rerum sanitatis: statuendum ergo ita posse contingere, eo quod operante imaginatiua commouentur animales spiritus, diffundunturque per corpus, ac proinde si imaginatio vehemens sit, magna quoque spirituum erit commotio. Adde etiam calorem vehementem sæpe excitari, vnde varij effectus in corpore contingunt. Denique imaginatio appetitum etiam mouet, excitatus autem commouet humorem, illius passioni cooperantem: his ergo modis ex imaginatione provenit realis effectus, seu casus in corpore, atque per hætenus dicta facilis euadit questio 78. prima part. apud D. Th.

E L E N C H Y S

CAPITVM LIBRI QVARTI.

- CAP. I. Quidnam sit adequatum obiectum intellectus nostri.
II. An sit necessarius intellectus agens ad producendas species.
III. An intellectus noster intelligat vniuersalia, an singularia tantum in rebus materialibus.
IV. Quomodo cognoscat noster intellectus substantiam materialem, & alia sensibilia per accidens.
V. Quomodo intellectus cognoscat se, & animam, & que in ipsa sunt.
VI. Quomodo Deum, & angelos pro hoc statu cognoscat.
VII. An intellectus noster pro hoc statu pendat ab operatione phantasia.
VIII. Quid sit intellectus agens & possibilis.
IX. De distinctione intellectus practici, & speculativi.
X. An in parte intellectiua sit memoria, vel aliqua potentia ab intellectiua distincta.
Qua de speciebus intelligibilibus & verbo mentis iudicio, &c. hoc libro queri possent, in præcedenti à cap. 2. habentur.

LIBER